PROGRAMMA
QVO
RECTOR
UNINIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
BERNHARDUS BARNSTORFF
Med, D.PP. & Poliater
NOTITIAM
DE
ANGELIS
JPSO
MICHAELIS FESTO
Omnes Academiæ Cives ſibi magis magisq́;
tanqvam pietatis Studioſi
apud animum ut confirment, eâ qvâ fas eſt humanitate
rogat atque contendit.

Roſtochii TYPIS JOH. WEPPLINGII, UNIV. Typogr.

FEriaſ cum denuò agamus in honorem Arch-Angeli, qui eſt ipſe FILIUS DEI, magnus ille ad homines Legatus, non alienum nunc judicemus eſſe â pietate noſtrâ, Angelorum etiam memoriam majori, quàm aliàs fieri ſolet, animi curâ repetere atque in DEI gloriam recolere. Boni namque ſicut eum in finem ſunt creati atque jam confirmati, ut gloriam Salvatoris noſtri apud homines etiam ubique amplificent, ita converſantur qvoque cum DOMINO ad noſtram ſalutem ſimul agentes, qvod ſuum eſt, ex voluntate illius; & qvamvis qvi ſunt lapſi, â facie DEI in infinitum rejecti ſint, illorum tamen eò magis meminiſſe juvabit, qvò majus nobis intentant periculum, non qvieſcentes prius, quam in perniciem homines conjecerint. Hoſtis ſanè imago, quem vitæ noſtræ inſidiari ſemper novimus, animo obverſari debet admodum ſollicitè, qvò ad reſiſtendum arma ſumamus eò promptiores. Atq́ dum Salvator noſter ideò id nominis ſibi imponi voluit, quod in mundum veniſſet liberatum homines â poteſtate diabolicâ, & defenſum nos ab omni impetu inferni, ſeriò etiam intelligere ſemper oportet, qvàm peſſimi ſint ſpiritus diaboli, & â qvantô malo per ſanguinem CHRISTI in libertatem ſimus vindicati. Feſto itaqve præſenti id jam agamus, ut ad gloriam Archangeli noſtri JESU CHRISTI ſuum etiam conferre videatur hæc qvæcunq́; eſt, cœleſtis doctrina de Angelis. Eqvidem facilè largior, ſi naturæ lumen in conſilium adhibueris, rem aut deſperatam prorſus eſſe de Angelorum notitiâ, aut perſcrutatu admodum difficilem. Et dum ſpiritus eſſe creduntur, eò magis recedere cenſentur à ſenſu iſtorum hominum, qvos naturæ jam corruptio in contraria qvæqve finxiſſe videtur. Ipſa neqve anima noſtra, qvæ circumfertur tamen ab omnibus, dum ſpiritus eſt, adeò attenditur aut talis eſſe putatur ab hominibus hujus ſeculi, licet ſui poteſtatem faciat ubiqve & per omnes vivendi rationes. At verò dum ſcripturæ facem nobis in tantâ caligine accendit benigniſſimus DEUS, eò tutius etiam de Angelis fidei noſtræ præſidium inde eſſe poteſt, qvô certiorem lucem eſſe Scripturam ſacram nobis omnibus conſtat. Verbum enim veritatis Eccleſ. XII, 10. & purus DEI ſermo Pſ. XII. 7 eſt ſcriptura ab ipſo DEI inſpirata, qui fallere prorſus neſcit nec poteſt 2. Tim. III.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE
58700/A2

16, Ebr. VI. 18. Et qvamvis ſivè allegoriæ & tropi paſſim, ſivè hyperbolicæ lucutiones, ſive phraſes ex vulgi opinione natæ, aut quæ rem, ſicut extrinſecus modò apparet, appellant, in ſcripturâ etiam inveniantur, voces tamen & phraſes tales ſunt, qvæ veritatem habent quoad ſenſum ex recepto inter homines linguæ uſu omnibus obvium. Et Metaphoram, quam uſus linguæ ſibi jam velut propriam fecit, aliqvid falſi afferre qvis dixerit? Non ergò erroribus vulgi patrocinatur ſcriptura, ut in ipſius gratiam ea qvæ non ſunt, affirmet tamen minus convenienter ſic de Rebus ipſis ſentiens: Non in errorem inducit, ſuâ autoritate aliam, quam qvæ eſt, rebus faciem affingens: Non hiſtoriam verbis alienis proponit, ut aut neſcias, qvid rei ineſſe debeat, aut in ſenſus myſticos abire opus habeas. Jam qvi ſcripturam acceſſerit, Angelorum doctrinam ſatis apertè ibi confirmatam eſſe, facilè reperiet. Quàm permanentes res ſint, qvæ per ſe etiam ſubſiſtunt, vel ex eô perſpicuè ſatis patet, quod iis ſimus in altera vitâ ſimiles futuri Matth. XXII. 30. jam ſi neqve ipſi eſſent aut viverent per ſe, qualis illa foret ſimilitudo, & quid de nobis futurum eſſet. Neque qui mandata accipiunt ſicut Angeli, qui veniunt, redeunt Dan. VIII. 16. ſq. IX. 23. aliter eſſe poſſunt, qvâm perſonæ intelligentes voluntatem domini ſui. Et dum in pugnâ detineri dicuntur pro ſalute hominum Dan. X. 13. in miniſterium emiſſi propter homines Ebr. 1. 14. utiqve etiam intelliguntur aliqvid agere circa homines, & in homines, dum quæ nocere poſſunt, variè removent Angeli, & qvæ ipſis ſaluti ſunt, ne patiantur ſe in errorem abduci, ſuggerunt. Jta enim pugna illa cum Rege Perſiæ facta eſſe exiſtimetur, ut, dum homo arbitrium agendi habet, boni Angeli variè cum malis certaverint, nunc has nunc illas inſpirantes ſimul cogitationes, antequam Rex ille in refectionem Templi judaici plenius conſentire vellet. Agunt ergò Angeli ſuo modo in animam ipſi humanam, agunt etiam in corpus, dum vel unus centies atqve octogies qvinquies mille homines unâ nocte proſtravit Eſ. 37. 36. noſtrique etiam curam ipſis DEUS commiſit, ut in manibus nos portent, ne fortè pedem ad lapidem offendamus Pſ. 91. 11. ſq. DEUS enim licet ubiqve præſens ſit, & ipſe operetur omnia in omnibus, miniſtris tamen utitur tanquam cauſis ſecundis, quibus tantum virium jam ipſe conceſ-

 ſit,

ſit, quantum operis in œconomia ſua rerum per illos fieri decrevit; Facitqve res illa ad magnificentiam DEI, qvæ infinitæ gloriæ eſt, erga creaturas ſuas eô magis declarandam. Et quamvis Angeli in perfectâ ſanctitate & veritate, in quibus imago DEI conſiſtit, â DEO ſint creati omnes: magna tamen ipſorum multitudo ſponte ſuâ ſe â DEO avertit, præceps jam facta ad omnem ſceleris voluntatem, ut nil niſi malum ipſis placere poſſit Epiſt. jud. v. 6. 2. Petr. II. 4. ducemq; velut ſuum ſequuntur diabolum ſ. ſatanam, qvi tanquam princeps regni diabolici nominatur in ſcriptura, cujus imperata reliqui facere quodam̃odo tenentur Joh. VIII. 44. Matth. 25. 41. Apoc. 11. 7. Quantis malis diabolorum iſta ſocietas homines circumvenire ſtudeat atq; opprimere, expertus eſt Salvator ipſe Matth. IV. 1. ſqq. & ubiq; loquitur ſcriptura Eph. VI. 11. ſeqq. 1 Petr. V. 8. Tàm clarè hæc dicta veritatem rei ſanæ mentis homini exponunt, ut, qui in contrarium ire velit, non niſi ſtrenuè nugari videatur. Annon tentationis illius hiſtoriam ſatis apertè ſecundum omnes partes perſequitur Evangeliſta? Ubi vel veſtigium phantaſiæ cujusdam aut viſionis in ſpiritu factæ? Cur non poſſunt omnia ſecundum literam obtinere? Virium ſic periculum facere voluit diabolus cum CHRISTO, quem FILIUM DEI eſſe nondum plane exploratum habebat, quanquam ſingularia qvæqve ſibi prorſus jam de eô perſuaſerat. Et quæ regna mundi CHRISTO indicaverat diabolus in faſtigio altiſſimi illius montis, fuerunt partim illa regna omnia in vicinitate, quæ oculis luſtrari poterant, partim etiam quæ animo facilè comprehendere licuit, præmonſtrante ſic diabolo. Nuda enim in textu tantum fit mentio *ἐνδείξεως* ſ. repræſentationis, quæ non tam fit oculis quàm animo, adeòqve eô latè patet ut idem etiam ſignificet atq; verbum *indicare*. Jam qvæ oculis denegantur, dum nimis longè excurrunt, vel digito, ubi ſitum habeant loca, vel ratione æque benè monſtrari poſſunt. Diabolus itaque quænam præter judæam, Samariam, Galilæam &c. ſive huc ſive illuc eſſent terræ aut regna, CHRISTO indicavit, eorumque gloriam magnificis ſanè verbis admodum deprædicavit. Et ſi *στιγμῇ χρόνου* apud Luc. IV. 5. urgere velis, exiguum quidem temporis intervallum inde denotari ſcias, non tamen tale punctum temporis, quod oculorum ictui

ctui reſpondeat. Et mundus etiam in ſcriptura ſuos habet limites, ut nec ambitum omnem terræ complecti poſſe intelligatur, conf. Luc. I. 1. Neque ulla ſatis cauſa ſubeſt, quare non verê etiam apparuerint CHRISTO cum tribus illis diſcipulis & Moſes & Elias in monte Tabor Matth. 17. v. 3. ut ab hujus rei alienô ſenſu etiã velis interpretari tentationem CHRISTI in deſerto pariter alienam. Et Eph. VI. 11. alium velle intelligere calumniatorem, aut hoſtem infenſiſſimum, quàm diabolum, alienum eſſet, â textu admodum. Anon hoſtes, qui ex carne & ſanguine conſtant, opponuntur ibi illis hoſtibus, qui ſpiritus eſſe dicuntur plane potentes v. 12.? Neque enim ita poteſtate mundi valentes homines furere aut ſe ſuperbè animo efferre poſſunt, ut ſe carnis & ſanguinis naturâ exuerent. Et qvid? ipſum nomen diaboli nudê omninò ponitur, qvod ex communi Chriſtianorum & Judæorum fide nonniſi eum ſpiritum notat atq; ſemper notavit, qvi tanqvam fons omnis malitiæ in id indeſinenter incumbit, ut hominibus, qvi ceu corpore veſtiti diverſæ naturæ ſunt, damnum inferat. Idem etiam ſentias de dicto, 1. Petr. V. 8., ubi cur â famoſiore diaboli ſignificatione recedas, planè non eſt. Qvanta inſuper dæmonum vis ſit in corpus agendi, teſtantur exempla eorum, qvi à JESU Salvatore noſtro inde divinâ omninô virtute liberabantur Marc. I. 23. ſqq. Matth. VIII. 28. ſqq. Ubi ſi per ſpiritum immundum morbum inſaniæ, ex qvo miſer ille putaſſet, ſe eſſe diabolum, & per dæmones furorem melancholicum, qvo miſeri homines crediſſent, ſe vel à legione dæmonum inhabitari, accipere velis, neſcio tandem qvid ineptiùs fingi poſſit. Annon morbo unqvam imperari poteſt, ut obmuteſcat & egrediatur? Annon vocem habet morbus, ut tàm horridè clamare poſſit, ſicut ſpiritus ille immundus feciſſe legitur Marc. I. 26. Et qvomodo obſeſſi tàm anxiè qveri potuiſſent ad conſpectum JESU Matth. VIII. 29: veniſſe ipſum ante tempus ipſos cruciatum, niſi à diabolis eſſent agitati, cum homines nihil mali ſibi metuere habeant ab optimo JESU, qvi in mundum venit deſtructum vires ſatanæ, quiqve etiam miſeris illis hominibus jamjam ſaluti eſſe volebat. Aut annon furor ille melancholicus, etiam cum tolleretur, in gregem porcorum operari potuiſſe cenſendus eſt Matth. VIII. 31. ſq.? Quid inconvenientius? Ita ſanè actum eſſet de omni veritate hiſtoriæ, & luſiſſet CHRISTUS cum hominibus, illosq; confirmaſſet in errore, qvi tamen mundum ingreſſus erat homo factus, ut veritatis eſſet teſtis Joh. XIIX. 37

 qvi

Quis amplius aut fidem haberet ſcripturæ, aut ab errore tutus forêt, in omnes, qvos velles, ſenſus ita facilè pateret? Neq; toleraſſet mod CHRISTUS hunc, ſi qvis eſſet, errorem in hominibus de tentation diaboli, de qvotidianis ejus adhuc inſidiis, de obſeſſione ejus, ſed ma jorem etiam ei fidem feciſſet poſt mortem ſuam, cum poteſtate expe lendi dœmones ſuo nomine diſcipulos denuô inſtrueret Marc. XVI.1 Tanto ergo præſidio cum nitatur fides noſtra de Angelis, faſcinatun oportet eſſe illum, atq; ſenſibus omninô corruptum, aut ineptè litigio ſum, qvi disjuncta maximè & contraria hîc dicere vellet. Omni pro inde reprehenſione dignus eſt famoſus ille Balthaſar Bekker, qvi qvan tis viribus potuit, doctrinam de Angelis Bonis & malis, eorumq; ſa pientia, aut calliditate, itemq; potentiâ & operationibus circa homine non ita pridem publicè impugnatum atqve labefactatum, ſi non plan ſubverſum ivit. Obviam verô ipſi jam itum eſt à ſuis ſatis maſculè, dun Edami habitâ Synodo die decimo Auguſti An. 1691. partim ne libri eju amplius venderentur, partim etiam ne novi alii excuderentur, gravite interdictum eſt. Qvo tamen non obſtante, ita celeriter malum illud ſerpere cœpit, atqve multorum animos occupavit, ut non ſimplici vic recuſus jam ſit tàm peſtilentialis liber, cui titulum fecit: Die bezauberte Welt, adjecto etiam tertiô, qvi tamen ne lucem unqvam videret, ſeri in prohibitis fuit. Rem omnem ubi in pauca contrahere velis, præſidi um ille Bekker erroris ſui in eô videtur potiſſimum ponere, nulla nempe eſſe ſpirituum operationes in corpora, aut communionem ſpi ritus cum corpore, neq; Spiritum Sanctum ſemper loqvi ex rei verita te in Scripturâ, ſed nonnunqvam etiam ſecundum errorem vulgi. Qvàm vanum verò hoc ſit de Scriptura Sacra, jam ſuprâ demonſtratum eſt Et qvod ſpiritus attinet, nulla ratio apparet, qvare nec ſpiritus vim ſuam in corpus imprimere aut ſciant aut in promptu habeant. Annon qvò magis qvid â craſſitie corporis remotum eſt, ceu ſubtiliſſima qvædam materia, eô facilius etiam tranſitum habet in corpora qvæq;? Qvan tum ignis, qvantum aura ſubtilis permeat atq; afficit corpora! Ipſi Spi ritus, qvi adhuc ſunt corporei, id in corporibus tamen præſtant, ut o mnem illa virtutem, motum atqve ſenſum inde accipiant. Qvantò magis idem non liceat ſpiritibus, qvi ideo ſunt materiæ expertes omnis ut eô minus ſit in corpore, qvô retineantur aut impediantur! Corpo ri ſubinde, ne in alterum agat, obeſt figuræ inæqvilitas, aut nimia mol

litie

ties. Aſt cum nihil ſit in ſpiritib9 inæqvale, nihil ob particulas facilè mo-
iles flexile, ſed ſubſtantiæ illi ſint ſine omni qvantitate molis, ut integra
iam ipſorum legio unius hominis corpus inhabitaſſe legatur Marc. V. 9.
alàm eſt, ex naturâ rerum nihil afferri poſſe, qvod, ne ſpiritus aut cor-
us ingrediantur, aut variè illud moveant, impedimento eſſet. Et An-
on anima noſtra pariter ſpiritûs indolem omni ex parte refert? Qvæ-
am qvantitas ſive ejus cogitationibus, ſive judicio aut affirmationis aut
egationis ineſſe deprehenditur? Annon interfici poteſt, ut in varias
articulas diſſolvatur? Abſit omnino Matth. X. 28. At verò qvàm conjun-
iſſima non eſt animæ & corporis ſibi invicem præſentia, ut in mutuum
nculũ qvàm arctiſſimè & intimè coëant? Quantum non operatur ani-
a in corpus? Nunc huc nunc illuc ad voluntatem mentis flectuntur
embra in corpore ſano: Nunc pedes, nunc manus, nunc lingua atq; aliæ
orporis partes, in quibus potiſſima fit vitæ ſignificatio, ita mentis im-
erio ſubjacent, ut vel ad nutum ejus jam agant, qvod placet. Ea ſanè
irabilis hîc eſt actionum varietas atq; œconomia, ut qvantum pateat
byſſus, planè nos fugiat. Neq; ipſe Bekker (Carteſianus enim eſt) aut
nimæ mentis naturam denegare, aut ejus in corpore virtutem in du-
um vocare audet, licet rationem rei unà cum aliis ignoret. Tam im-
ecillis nimirum eſt rerum etiam naturalium nobis relicta ſcientia, ut
eqve eorum, qvæ in nobis ipſis ſunt, naturam explicare, integrum ſit.
t ſi tandem his Bekkeri placitis aliqvid tribuere fas eſt, neq; ipſe Deus,
nqvam Spiritus Joh. IV. 24. infinitis planè modis à corpore disjunctus, in
em corpoream qvicqvam conferre exiſtimaretur, qvod tamen vel co-
tare peccatum eſſet: neq; Autor ille, qvomodocunqve etiam ſe expe-
re velit, rem hîc conficere poteſt. Et diabolum etiam ita ad orcum
nqvam certum aliqvem locum poſt lapſum ſuum alligare velle, ut pla-
è ipſi non liceat inde ingredi, ſvave ſomnium verius eſt, qvàm opinio
robabilis vel apud ipſum Bekkerum. Agnoſcit enim ex Scriptura
æmonem eſſe ſpiritum. Jam dum ex recentiori Philoſophia, cui
ræcipuè addictus eſt Autor ille, perſpicuè, ut volunt, patet, Spiritus
on eſſe in ubi ſ. loco, cum deſtituantur omni menſurâ ſui, qvâ ad lo-
um referri poſſent, miror ſanè, hominem hunc adeò ſui immemo-
em eſſe potuiſſe, ut vel propria vineta cædat. Si cogitationes ſpirituum
æ, qvibus gratia Dei ſentitur, ipſorum Celum, & *miſeræ*, qvibus pro-
ter iram DEI excruciantur, ipſorum infernus eſſe dicantur, qvid re-
geſſerit

geſſerit Vir ille? Verùm filum abrumpêre cogor. Neq; enim unum programma tot opinionum monſtra, qvibus mundum perturbavit doctor ille tam cerebroſus, vel recenſere ſufficit. Nos jam, *Cives optimi* eò circumſpectiùs veritatis præſidio animum muniamus, qvò periculoſiores ſunt fallendi artes, qvibus nos undiq; circumvenire atqve ejicere tentant hoſtes maximè adverſarii. Atqve magis nocere poteſt ſui ignorantiâ aut negatione diabolus, qvàm ſui notitiâ. Ita enim via patet ad ſecuritatem, ad luxum, atq; ad omnem perniciem animæ eò liberior. Qvantum damnum non ſubinde parit ſecuritas in bello, ut multòplures illâ ratione fuerint oppreſſi, qvám apertâ vi? Unde tot inimicæ congreſſiones, tot nocturni diurniqve diſcurſus, tàmqve profuſa cibi potusqve intemperantia, niſi magnam partem ex illâ etiam inconſiderantiâ, quâ diaboli fraudes aut planè ignorant, aut intelligere & metuere nolunt homines? Et dolendum ſanè etiam in noſtrâ Academia id mali jam committi, ut nec fuſtibus quibus inimicâ mente ſe invicem cædant, abſtineatur. Adeòne membra noſtra, qvæ DEI tamen ſunt, in miniſterium diaboli, omnisqve perniciei præbere iterum conſveſcimus? Itane legis oblivio animum tàm facilè cepit, qvâ decennalis relegationis pœna certiſſima denunciatur iis, qvi truculentis barbarisqve fuſtigationibus vel ſubdolâ ac clanculariâ, vel manifeſtâ ratione alios exceperint? Verùm ita præcipites homines feruntur, qvi nullo ſive Dei, ſive Angelorum, ſive diaboli metu continentur. Qvando contrà ſeriò cogitamus poteſtatem diaboli, tot ejus inſidias, tàm indefeſſum nocendi ſtudium, tàm periculoſas accuſationes qvibus cauſam damnationis eorum DEO etiam perpetuò contra nos agit, non poſſumus non exhorreſcere tantis malis, tantis calamitatibus vitæ obnoxii. Sicqve eò magis auxilium DEI implorare compellimur, intelligentes etiam ſubinde clariùs virtutem ſanguinis JESU CHRISTI, qvi contra tantos furores ſatanæ nobis ipſe ſubſidio venit, rerumqve noſtrarum curam gerit potentiſſimè. Huic tàm Bono Salvatori noſtro, qui Angelorum etiam præſidium nos per omnem vitam comitari vult, ſit unâ cum Patre & Spiritu Sancto Laus, gloria & gratiarum actio in æternum Amen!

P.P. Sub Sigillo RECTORATUS
Anno 1696. d. 29. Septembr.